



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 48. Defuncti Pontificis gesta in suo Apostolatu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)



Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

tam serix pietati sacris suis officiis non deerant, ægrotantis tranquillitatem, & constantiam summopere demirati sunt; ille vero pias preces præloquentium verbis ad syllabam, submissa tamen voce, inhæsit, ac piæ sanctæque morti oppetendæ intentus, demum velut ex æstuoso mari ad pacatissimum portum flantibus Zephyris enataturus, die sexta Februarii animam Creatori suo placidissime reddidit, anno ætatis octogesimo octavo, Pontificatus nono cum sex Mensibus, diebusque viginti quinque.

§. XLVIII.

*Defuncti Pontificis gesta in suo Apostolatu.*

Quis, quæso, res gestas Clementis XII. digna laude prosequatur? vincit meritorum copia sermonem, virtutum præstantia calamum, & ipsa factorum narratio legentis fidem: paucis dixisse sufficiat, Clementem inter magnos maximum fuisse Pontificem, quem non verba sed opera commendant, & in quo ejus Amici potentissimum Patrum, Cardinales ab eo electi magnanimi benefactorem, eruditi liberalissimum Mæcenatem, pauperes beneficium Patrem, & denique Ecclesia Pastorem



storem longe vigilantissimum amiserunt: Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.  
 Præclaræ animi virtutes primævo gratiæ beneficio sibi velut congenitas habuit, pietatem in Deum, Religionis Zelum, ardens justitiæ studium, constantiam in proposito, fidem in promisso, æquanimitatem in adversis, amorem in subditos, liberalitatem sine fastu, magnificentiam sine ostentatione, affabilitatem sine levitate, & Majestatem sine arrogantia. Jam in primo Pontificatus sui die contra Religionis hostes vindicandæ fidei Catholicæ causam serio cogitaverat, animose susceperat, & ad ultimum usque vitæ halitum constanter egerat: Ut autem sic ageret, non ipsum impulit laudis cupiditas, non indiscreti odii fanaticismus, sed Dei honor, Ecclesiæ incolumitas, populi salus, & Pastoralis officii sollicitudo. Hæc cum sit maxima nominis sui gloria, vehementer quoque eam adauxit singulari sollicitudine, qua res Ecclesiæ simul & populi, Pastoris ac Principis officia exequabatur quam studiosissime; Administros sibi elegit cordatos, doctos æque ac pios, non ut ab eorum imperio dependeret, sed ut eorum opera & ministerio uteretur ad tollendas corruptelas, ad justitiam exacte administrandam, ad levandas populi sui oppressiones, ad Clerum in  
 me-



SÆC. XVIII. melius conformandum, ac denique ad  
 A. C. 1740. promovendam Ecclesiæ & Reipublicæ  
 utilitatem. Cum enim ipsemet in sub-  
 ditis audiendis facilis, in egenos libe-  
 ralis, in supplices clemens, in fontes  
 salubriter severus esset, atque integer-  
 rimus justitiæ assertor ac vindex, jus  
 suum unicuique sine discrimine, sine  
 mora, sine favore, omni hora & mo-  
 mento reddere, & præmia ac poenas  
 æqua jugiter lance distribuere statuisset,  
 hinc ab initio sui Pontificatus in id  
 præcipue incubuit, ut ad tam glorio-  
 sum finem feliciter consequendum ido-  
 neos Ministros, & Operarios in laboris  
 societatem sibi accerferet: Tot igitur  
 tantorumque Virorum selectu, ortoque  
 inde uberrimo fructu Pontifex sese Ec-  
 clesiæ proficuum, populo amabilem,  
 magisque omnium acclamationibus ce-  
 lebratum reddidit: primas enim ac  
 præcipuas curas ad Dei cultum, &  
 Cleri decus amplificandum impendit:  
 id testantur tot Ecclesiæ partim repa-  
 ratæ vel absolutæ, partim recens ex-  
 structæ, tot Collegia & Seminaria pro  
 Clericis etiam remotissimarum Regio-  
 num erecta & dotata, tot saluber-  
 rima statuta ad S. Canonum normam  
 condita, quorum jam potissima in Hi-  
 storix nostræ decursu fuere laudata.  
 His tamen adhuc addendum, quod ad  
 tollen-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

tollendum abufum in Germania invalentem, vi cujus plures Episcopatus fimul uni conferebantur Perfonæ, decreverit, deinceps nulli Breve ut vocant, *eligibilitatis*, nifi circumfpecta, cognitaque cauffa effe concedendum, & fi binos poffidenti Episcopatus conferre neceffe foret, adderetur conditio alterutrum dimittendi, tres vero Ecclesias habenti præfatum breve omnino denegaretur. Cavit inquit Pontifex, ut Confiftorialis Congregatio impotenter cautius veniam plurimum Episcopatum, dignitatum vel canonicatum Germanis & Polonis concedat, nec exempla fequatur, fed potius cauffarum merita rigide ponderet, ac hujusmodi Canonum relaxationes unice ex evidenti utilitate, & bono Ecclefiarum non autem ex Perfonarum dignitate æftimet. Pariter prohibuit in Confiftoriali Aulæ Advocatorum munere hæreditariam fucceffionem; hinc voluit, ut ad hujusmodi officia Rota romana tres Curiæ Caffidicos, quos digniffimos cenfuerit, nominaret, quorum optio (falvo Nationum ufu) fummi Pontificis effet, deinceps vero Filci vel Pauperum Advocati non alias cauffas agerent, quam quæ ad fui officii munus fpectarent. Edidit quoque decretum, quo profufos veftium auro &

Hift. Ecclef. Tom. LXXVI.

Ss ar-



Sæc. XVIII. argento intextarum sumptus reprimere  
A. C. 1740. studuit; piæ tamen ejus voluntati præ-  
 valuit inveterati luxus consuetudo, adeo, ut dubium sit, an magis expediat prævalida & maxime adulta ejusmodi vitia connivere, quam propalam facere, eoquod publica quoque auctoritas iis coercendis non raro impar esset: Paulo meliorem successum habuit Clementis Constitutio contra lufum, quem vulgo *lotto* appellant; hunc quidem Innocentius III. indulserat, Benedictus XIII. vero anathemate, aliisque poenis inhibuit: hominum vero indole plerumque in vetita avidius prona, Romani spretis ejusmodi poenis maximam pecuniarum vim Neapolin, Mediolanum, & ad alias exterorum Principum urbes, ubi hujus ludi facultas erat, non sine gravi Pontificiæ ditionis damno emittebant. Eapropter Pontifex rem Theologis discutiendam commisit, quorum sententia eo abibat, ut abrogata Benedicti P. Constitutione ejusmodi ludi genus, tanquam minus ac velut necessarium malum permitteretur, addito tamen interdicto, ne pecuniæ ex ditione Pontificia extraherentur, aut pravæ artes, vel superstitiones in ludendo adhiberentur, hique, qui huic ludo præessent, quoties numerorum sortitio fieret, certam pecuniarum



rum vim in Pontificium ærarium inferant; quam pecuniam Clemens, ejusque Successores in pauperum levamen, & plurium Virginum ac mulierum, quæ propter inopiam monasteria ingredi vel in matrimonio collocari non poterant, dotem erogari præceperunt.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

Provide etiam Pontifex subditorum commodo, & Urbis Romanæ ornameto consuluit, ac præprimis pro infantibus expositis Corotrophium extruxit, ac insuper olei carnisque pretium imminuit, iugentemque frumenti ac pecuniæ vim pauperibus viritim distribuit, populum ab immodicis tributis liberavit, eique post Marii Francipani obitum Senatorem dedit Comitem Nicolaum Bielkium Virum plane propter multas ejus virtutes meritissimum, qui in Suecia ex illustrissimo genere natus, ob ejuratos Lutheri errores exul ac extorris Romam ad Paternum Clementis sinum confugerat: Insuper in populi Romani commodum Urbanas vias Pontifex lapidibus quadratis stravit, & Consulares plateas Romam conducentes triginta & ultra annorum incuria destructas ac pene impervias munivit, aquam e Vaticano in arcem S. Angeli deduxit, Anconitani portus fabricam absolvit, & publico Cæsenatum Gymnasio ob imminutum Magistrorum



Sæc. XVIII.  
A. C. 1740

numerum atque deperdita pene stipendia pristinum decus, Senatoribus dignitatem, atque turbatum antea imperium, quo Portum Cæsenaticum adjectumque ibi pagum feudi jure moderabantur, necnon Civibus ludicra certamina olim singulari privilegio concessa, ac postmodum negata restituit, necnon neglectam fontium custodiam, atque in deterius mutatum jus Prætorium refarcivit. Postremo ad pontem faciendum in Sinapi flumine, cujus nominis prima fundamenta erant jacta, quatuor aureorum millia Cæsenatibus attribuit, propterea in grati animi monumentum honoratus sua effigie et marmore in Senatus ædibus collocata: Ita nempe Clemens toto Pontificatus tempore se talem tamque beneficentem populi sui Patrem opere exhibuit, qualem se fore prima suæ exaltationis die verbis pollicitus erat; cum enim inaudisset, Romanos de ejus electione quidem lætari, timere autem, ne sub Florentinis parem, quam sub Beneventanis antea sustinuissent, funestam sortem sint experturi, eis hæc a significari jussit, se ita regnaturum, ut si vivens subditorum amorem conciliare sibi non possent, ipsi saltem ejus mortem deploraturi sint; mox vero Nerium Corfinium Nepotem suum accersitum hortatus est, ut nemini



mini offensioni esset, *fors enim*, adde Sæc. XVIII.  
 bat Pontifex, *attenta virium debilitate ac* A. C. 1740.  
*senio breve erit regimen meum, ac potius*  
*mortis memor, quam terrence sublimitatis*  
*cupidus sum; ita ergo vivamus, ut post*  
*mortem meam nomen nostrum hominum nulli*  
*odiosum sit.* Id plane opere comproba-  
 bat Clemens; unde ejus memoria in-  
 timius in subditorum animis, quam in  
 defuncti tumba immersa inhæsit.

Præterea cum omnes suas actiones  
 ad moderationis & clementiæ normas  
 componere solitus, ac correctione po-  
 tius quam pœna contentus esset, æquus  
 tamen iudex ac severus in eos vel ma-  
 xime, quorum mores ab honesto ab-  
 horrebant, criminum vindex existit:  
 quocirca in Cosciam, ceterosque, qui  
 nefariis suis artibus populum vexabant,  
 inquiri, eosque promeritis pœnis mul-  
 ctari præcepit; pari etiam rigore, ut  
 publicam securitatem tueretur, contra  
 homicidas & sicarios edictum promul-  
 gavit, quo sublata omni immunitate,  
 eos morte plecti iussit, neve ulla im-  
 punitatis spes (maxima ad peccandum  
 illecebra) superesset, illis quoque, qui  
 subita contentione rixaque se excusa-  
 rent, nihil de pœna remitti voluit, &  
 capite etiam cavet, ne quis sclopeta,  
 ficas, aliaque arma ad cædem clam &  
 dolose inferendam aptissima deferret,



Sæc. XVIII. A. C. 1740. vel apud se retineret: acriter etiam in  
 Turris Camerinensis incolas animad-  
 vertit; cum enim horum non pauci  
 vectigalia fraudarent, perditissime vi-  
 verent, finitimos populos pravis suis  
 moribus inficerent, atque omnia per-  
 vim & licentiam perpetrarent, Cle-  
 mens admoto Apparitorum militum-  
 que competenti numero Præsuli Ignatio  
 Crivellio in mandatis dedit, ut fordi-  
 dum hoc genus hominum, rebelle ac  
 indocile subigeret, promeritisque coe-  
 ceret pœnis: Capto igitur hoc oppido,  
 sumptoque de duobus factiosis supplicio  
 ceteri in fugam versi, omnes denique  
 armis exuti sunt: ipsum vero Feudum  
 Camerae Apostolicæ redditum est, &  
 Comiti de Bonarellis legitimo illius  
 possessori æquivalens ditio in Agro Ro-  
 mano donata fuit.

Tam magnis, totque aliis omnino  
 præclaris gestis celebrem Pontificem  
 ac Patrem, ut mortis illius increbuit  
 rumor, statim luxit universa Roma,  
 doluerunt vel maxime Cardinales, Prin-  
 cipes, ac cives, qui defuncto non mi-  
 nus lacrimis, quam precibus parenta-  
 bant: Pariter Imperator, ceterique  
 Principes Catholici, qui hunc Pontifi-  
 cem semper singulari veneratione co-  
 luerunt, mæsti iusta funebria eidem  
 summa pompa exsolverunt. Porro Cor-  
 pus



pus ejus ex Palatio Quirinali ad Vaticanam Basilicam noctu diei sequentis post obitum maxima populi frequentia, ac bonorum omnium lugubri silentio intimum dolorem testante translatum est. Tertio demum Novemdialium exequiarum die Æneas Sylvius Piccolamineus eximius plane Præsul ac Orator de laudibus summi hujus Pontificis perelegantem habuit sermonem: demum die decima septima Februarii in eadem Basilica ejus cadaver interim humatum fuit, postea (ut ipse præscripserat) ad Lateranensem transferendum, eo fine, ut in magnifico Sacello a se constructo sub porphyretico Mausoleo, quod sibi vivens mortalitatis memor exstruxerat, conderetur.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

§. XLIX.

*Cardinales pro eligendo novo Pontifice conclave ingressi.*

Absolutis pro more Exequiis die decima octava Februarii ex sexaginta octo Cardinalibus triginta quatuor tum Romæ præsentibus more consueto ad Vaticanam Basilicam convenere, ubi de eligendo tali Pontifice, qui S. Scripturæ & SS. Patrum studio, prudentia, eruditione, morumque integritate emineret, perdoctum sermonem Josephus

Ss 4

phus